Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

FEBRIBUS CA-TARRHALIBUS

Quam

Consentiente Illustri ac Gratioso Medicorum Collegio in inclyta ad Salam Academia,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi

DN. RUDOLPHI WILHELMI Krauß/Phil. ac Medic. Doct. Practicæ ac Chimiæ Profess. Publ. celeberrimi; Facult. suæ Senioris Spectabilis,

Dn. Praeceptoris, Patroni & Promotoris sui sempiternum colendi,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medica honores, Insignia & Privilegia Doctoralia legitime impetrandi

Publico Philiatrorum Examini submittit

CHRISTOPHORUS Bohnstedt

Egla-Halberstadiensis.

ad diem 26. Aprilis

In Auditorio majori, horis pro-& pomeridianis.

JENÆ,

TYPIS MÜLLERIANIS. ANNO 1676

CAPUT I.
Onomatologia.



EBRIS CATARRHALIS tradituri historiam operæ pretium fecerimus, si primò omnium de *nominis* evolutione pauca præmittamus; rectè enim *Scalig. Exerc.* 1. *sect.* 1. à nominibus, inquit, provehimur in rei perceptionem, cui *Galenus* quoque adstipulatur *Meth. l.* 2. *c.* 7. Ut igitur in ipsius rei cognitionem ac veritatem eò felicius deducamur, sistimus hîc

ETYMOLOGIAM, ubi tamen, quod *Febris* appellationem attinet, vocis nomenclaturam nimis scrupulosè venari nolumus, sed curiosum nominum lectorem amicè remittimus ad ea, quæ *Sennertus l* 1. *de febr. c.* 2. & *Hoffman. tract. de febr. c.* 2. annotarunt; & ibidem videri poterunt. Sufficit hoc loco, græcam vocem *πυρετὸς ἀπὸ τοῦ πυρὸς ab igne* dictam, notanter satis ostendere, *Febrem* vi vocis esse morbum cum fervore ac incendio conjunctum. *Catarrhalis* verò dicitur hæc febris ab *adjuncto*, seu, quo stipata affligit, *catarrho*, estque itidem hæc vox Græca, diciturque ἀπὸ τοῦ καταῤῥέειν, & nihil aliud, quàm *defluxionem* vel *destillationem* è superiori loco ad inferiorem denotat. De variis hujus vocis acceptionibus vid. *Rolfinc. de Aff. Cap. part. Diss.* 12. *de Catarrh. p.* 2.

Ne verò HOMONYMIA, ut aliàs errorum fæcunda existit parens, ita & hîc dissensum fortè aliquem inferre possit, præcavendum nobis videtur. Nos igitur non *sensu confuso* cum plebe continuas quasvis, aut quæ cum aliquâ membrorum gravitate invadunt, sed *adæquato & distincto* illas tantùm pro catarrhalibus habemus, quæ nec febrem sine *catarrho*, nec hunc citra *febrem eminentem continuam* exhibent, quarum ulterior descriptio ex sequentibus patebit.

Quoad

Quoad SYNONYMIAM, *catarrhi febriles, febres suffocativæ, catarrhi epidemii* dicuntur, item *febres lymphaticæ glandulares*, de quibus *Sylvius Prax. med. l.* 1. *c.* 29. §. 6. 11. & *gravedo anhelosa* in *Joh. Asseveri dissert. jatbromathemat.* Alio nomine, sed impropriè, *ardentes* vocantur, & aliquando cum *malignis* confunduntur, præcipuè cum epidemio more invadunt; Germani Fluß-Fieber vocant, abusivè hitzig Fieber. Nonnulli his annumerant *arthriticas*, quod credant, à catarrhis produci arthritidem, quam tamen sententiam refellit *Sylv. l.* 2. *cap.* 30. §. 36.

CAPUT II.

Definitio realis.

PRæmissâ terminorum explicatione, ut ex confusâ morbi notitiâ ad pleniorem ejus declarationem progrediamur, *realem* ipsius *definitionem* subjungimus talem: *Febris catarrhalis est calor corporis præternaturalis continuus, conjunctus cum defluxionibus, & variarum partium secretioni seri dicatarum insigni molestiâ, à vitiosè fermentescente, inque corde accensâ sangvinis parte serosiore ortum habens.*

Definitionem hanc, utpote essentialibus suis partibus constantem, febribus catarrhalibus exactè competere, cuivis ipsam intuenti facilè patebit; *Generis* enim proximi loco constituimus *calorem corporis præternaturalem continuum*, hoc est, *febrem continuam*, de cujus præsentia dubium planè nullum est. Quod *febris* sit, non invasionis tantùm modus & calor præternaturalis, sed solutio quoque ejusdem luculenter ostendit, quemadmodum ex sequentibus erit manifestum. *Continuam* esse, eam scilicet, quæ συνεχὴς Græcis appellatur, ex more illius ac genio patefit; habet enim utplurimùm suas vel singulis vel alternis diebus, præcipuè circa noctem, exacerbationes ac remissiones, nec ad omnimodam tamen ἀπυρεξίαν, nisi sublato simul morbo, pervenire consvevit;

 quin

quin, quod sublatâ ipsa febre, quædam tamen affectus reliquiæ eosdem adhuc, minores licet, per aliquod temporis spatium paroxysmos æmulentur. Non quidem omnes ad hunc continuarum gradum perveniunt, cum quædam sint leviores, *Synochorum* potiùs æmulæ, quæ nulla accessionum intervalla habent, sed eodem caloris gradu ad finem usque perseverant, & paucos intra dies terminantur; sed hæ mitiores sunt, & ob leviorem minoremque sangvinis incalescentiam, operam medicam vix requirunt. *Joubertus de Febr. diff. c.15.* ῥευματικὰς sive catarrhosas febres de *continuarum quotidianarum* genere esse agnoscit, cum circa noctem ferè, aliquando etiam post pastum, hecticarum adinstar, efferentur. *Sylvius* quidem *Prax. med. l. 1. c. 30.* *intermittentium catarrhalium* mentionem facit, sed hæ alterius planè sunt indolis, & cum paroxysmo febrili ingruunt, cumque eo recedunt, saltim hisce locis non adeò familiares.

Serum vitiosè fermentescens producere has febres, non sine causâ dicimus, dum enim collecta, varias ob causas, in sangvine humorum serosorum colluvies ab exitu per consveta sua loca præpeditur, & sangvini commixta permanet, facili pòst negotio ad turgescendum ebulliendumque disponitur, medianteque hinc cordis motu præternaturalem in corpore calorem, seu febrile incendium excitat. Signa talismodi vitiosæ fermentationis non desunt, considerantibus nobis pleraque hujus morbi symptomata inferius recensenda, quæ fermentanti ac ebullienti in corpore sero deberi, extra controversiam est.

Altera definitionis nostræ essentialis pars, per quam κατ' ἐξοχὴν febris hæc catarrhalis vocatur, exinde emergit, quod affectum hunc cum *defluxione*, & consequenter variarum *partium secretioni seri dicatarum insigni molestiâ* conjunctum esse dicamus. Nimirum hoc ipsum desumitur tàm à *causa*, quæ est sangvinis pars serosa in corpore fermentescens, quàm ab ejusdem *causæ subjecto*, *Glan-*

dulis

dulis ſcilicet, ſeroſum humorem ſeparare aliàs ſolitis, iisq́ potiſſimùm conglomeratis, in varias corporis partes ſeſe exonerantibus, præcipuè verò in capite, oculis, naribus, buccis, palato, faucibus, ventriculo, inteſtinis, ipſisque adeò pulmonibus, contentis. Hæ omnes ſcilicet partes, ingruente catarrhali febre, præ aliis laborant, eoq́ ipſo reliquæ febres continuæ à catarrhalium cenſu imprimis excluduntur.

CAPUT III.
Subjectum.

COgnitâ morbi eſſentiâ, requirit porrò inſtituti noſtri ratio, ut *ſubjectum* illius, ſive *locum affectum* conſideremus. Quoniam verò affectus hic non ſimplex eſt, ſed compoſitus, ut confuſionis evitemus periculum, *ſubjectum* aliud conſtituimus *morbi*, aliud *cauſæ morbificæ*.

SUBJECTUM MORBI, incendii nempè febrilis eſt ipſum *Cor*, caloris tàm naturalis quàm præternaturalis focus, omniumque, quibus humani corporis fabrica vel labefactatur, vel erigitur, primaria origo. Fieri enim nequit, ut citra cordis miniſterium, ex quo tanquam fonte partes corporis quæcunque ſuum recipiunt calorem vitalem, febrile aliquid nobis concipiamus, teſtante id in quavis humorum ebullitione ac fervore motu ejus celeri ac præter ſolitum fortiori.

Generationis modus incendii hujus febrilis alius non eſt, niſi quod deliteſcens antehac & quietior ſeroſus latex, jam verò turgeſcentiam adeptus, cum refluo per venas ſangvine cordis intret thalamos, ibique novam ſubinde flammam concipiat, egreſſus verò iterum per arterias, ad corporis quæcunque viſcera ipſosque artus, hoc, quod febrem dicimus, ſecum derivet, usq́ dum vel ad ſtatum naturalem reducatur, vel hoſpitio ſuo hoſpes peregrinus ac moleſtus planè exulare cogatur.

SUB-

SUBJECTUM CAUSÆ MORBIFICÆ dicimus esse *Glandulas*, easque variis in partibus. Notum quippe est, quid *Stenonis Warthonique* industria *de glandularum*, capiti imprimis adsitarum, peculiari *usu* nobis detexerit, eas videlicet juxta naturæ leges, *liquorem limpidum, tenuem, aquosum, salivalem*, à sangvinis massa separatum, continuò ad subjectas vel conterminas sibi partes amandare; de cujus tamen liquoris usu generalem tractationem instituere, hujus loci non est. Vid. *Warthon. adenograph. c.* 21. Talismodi nobis glandulas ostendunt, *majores* quidem, ad aures, *parotides* dictas, ad maxillam inferiorem *thyroideas*, ipsoq; in faucium isthmo notas illas *amygdalarum* vel *tonsillarum* nomine donatas: *minores* verò ac *minimas* in oculis, naribus, buccis, palato, faucibus innumeras, per proprios ductus, loca, quibus adjacent, perpetuò madore irrigantes. Vid. *Stenon. Obs. Specim. de gland. p.* 31. *& seq.* Notum præterea est, quantum in ventriculi ac intestinorum detegendis minimis glandulis tum alii, tum imprimis *Malpighius* desudârit, quantum etiam hic in patefacienda vasorum pulmonis læyium cum asperis communicatione, per varia experimenta impenderit studii; ut nullum planè hinc dubium sit, in omnibus recensitis partibus, in statu etiam maximè naturali, humoris alicujus, pro diversis usibus, fieri separationem.

Dato igitur per nominatas modò *glandulas humorum transitu naturali*. probabile porrò fit, ibidem in *statu* quoque *præternaturali majorem* copiosioremque eorum *effluxum* posse contingere; hincq; existimo, quicquid in *catarrhalium febrium* insultu, & *fauces*, & *thorax*, & *ventriculus*, aliæve partes incommodi patiuntur, id omne *partium earundem glandulis*, perque eas erumpenti *materiæ serosæ* unicè tribuendum esse: cujus rei veritas in causarum relatione pluribus patebit.

Sententiam hanc, *Serum* nempè *catarrhale effluere per glandulas*, ab *Excell. D. Meibomio Medicinæ Professore in Acade-*

cademia Helmstadiensi celeberrimo, *Praeceptore meo fidelissimo*, in publicis praelectionibus propositam, amplecti nullus dubito, eòque lubentiùs illam sequor, quò manifestiori sensuum adminiculo nititur, nec in mentis solo ratiocinio acquiescit. Confirmat enim idipsum *Nicol. Stenonis*, dum *l. c. p. 41. & 46. quocunque corporis loco aquosus quidam naturaliter reperitur humor*, eundem ab illius *partis glandulis* oriri, & sic *glandulas catarrhorum esse fontes*, existimat.

Cerebrum quidem ipsum (quod pro catarrhorum subjecto primario haberi aliàs solet, & ab *Excell. Dno. D. Praeside* non planè excludendum esse in lectione publicâ de catarrhis monebatur,) non rejicio, quatenus id similiter suis quibusdam glandulis praeditum est, & imprimis si catarrhalis quidam humor juxta Veterum sententiam vel ex *cerebri ventriculis processibusque mamillaribus* ad *nares* per *os cribriforme* exstillet (quod tamen non usque adeò certum est) vel ex *glandula pituitaria* ad *palatum* per *os cuneiforme* defluat, (quod *Willisii* relinquendum experimento, qui humorem illum ex glandula pituitaria in vasa sangvinea reducit, *Anatom. Cerebr. c. 12.* & *Stenonis l. c. p. 43.* ab eadem glandula liberam vidit in venas viam) tantisper credo, in Cerebro catarrhalis materiae fieri generationem; ast dum *manifestiores glandularum ductus*, materiamque per illos exstillantem oculis penè ipsis conspicere licet, idcirco existimo, *glandulosa haec corpora*, relicto ex parte cerebro, (quod si quicquam etiam demittit, parum tamen fuerit) pro vero *catarrhalis materiae colatorio* atque *subjecto* habenda esse.

Interim nec Veterum culpare placita, nec aliorum quorundam opinioni refragari volo, attamen, ut assensum iis omnem praebeam, citra rationum sufficientiam facilè non adducor, sed quod probabile magis hîc videtur, ei omnino assentiendum puto.

CAPUT IV
Causa proxima.

CUm absque Causarum cognitione morbi naturam investigare, vel ipsius remotionem moliri Medicus nequeat, *causæ* quoq;, asserente *Montano in Cons. de Feb. c. 29.* ad curandi rationem nos deducant, hinc earum nunc tractationem instituemus. Sunt verò causæ illæ multiplices, & in varias classes dividuntur, è quibus magis conspicuas allaturi, *Causam proximam* aliam constituimus, alias *remotas.*

PROXIMA igitur sive *immediata* febris catarrhalis *causa* (quâ positâ præsentem, sublatâ absentem judicamus affectum) nobis esse videtur *serosæ colluviei* in mâssâ sangvinea nimiâ *quantitate* congestæ, & sæpe *acris* redditæ, *fermentatio* & *motus præternaturalis*, quæ deinde ob turgescentiam ac incensionem, ex corde per arterias tum in *partes* corporis quascunque, tum præcipuè in *glandulas* capiti adsitas, ipsumqùe *pulmonem* irruit, febrilemq; calorem, & varia variis in partibus symptomata excitat. Sed jam singula seorsim considerabimus.

Essentiam nimirum catarrhalis materiæ si spectamus, sub *serosæ colluviei* nomine veniunt *humores* quicunque *tenues, aquosi, ichorosi, pituitosi*, unà cum sangvine in arteriis ac venis contenti, medianteque circulatione quaquaversum propulsi, sive seri, sive pituitæ, lymphæ, aliusve liquoris appellatione indigitentur.

Essendi modum considerantes, per serosam colluviem intelligimus *humores* 1. non toto quidem genere excrementitios ac inutiles, (utpote quibus ipse sangvis pro vehiculo maximè necessario utitur) sed *abundantes, superfluos*, & præter naturæ ordinem retentos in corpore, amicabili quidem consortio ipsi junctos, dum tranquillo ac sedatiori motu corporis meatus perreptant, at, dum exagitati fluctuant ac ebulliunt; naturæ regimini minùs obedientes, finibusque suis, quibus coërceri tum

satis

ſatis nequeunt, quàm primùm eliminandos. Hinc 2. præter abundantiam, *acrimoniam* quoq; ſubjungimus, idq; non immeritò: licet enim nonnulli, inter quos eſt *Joubertus lib. de febr.* humores catarrhales planè inſipidos aut dulces pronuncient, hâc moti ratione, quod lingvam acredine non feriant, nec ſenſu percipiantur; attamen ſi non manifeſta ſemper eſt eorum acrimonia, latentes tamen habent aculeos, quibus partes vellicent ac pungant, quod in naribus ſternutationes, in faucibus eroſio, in ventriculo dolores, in inteſtinis diarrhæa, in pulmonibus tuſſis & continui ſolutio abundè teſtantur. Equidem ſi naturæ adhuc legibus conformes ſeſe exhibent, ſapore infecti vix deprehenduntur, quam primùm verò à naturali hoc deſciſcunt ſtatu, qualitate peregrinâ mox inqvinantur, & ſalſedine, aliove ſapore ſatis manifeſto ſeſe produnt, quemadmodum *Rolfinc. de Aff. Cap. part. diſſ. de Catarrh. p. 5. & 8.* id fuſiùs explicat.

Præcipuè autem præter hæc dicta vitia, utraq; magnæ activitatis, ſeroſi humores delinqvunt 3. *motu*, quatenus turgeſcentiam ac fervorem concipiunt, id quod obtingere ipſis quàm facillimè poteſt. Uti enim talismodi ſerum nondum agitatum, quaſcunq; corporis partes cum maſſa ſangvinea innoxiè alluere ac pervadere ſolet, ſic datâ enormi occaſione, in circulo ſuo præpeditum efferatur, & impetuoſo planè motu intra ſua vaſa rapitur, ac ebullit, unde excitato quaſi igne peregrino mox corpori incendium univerſale communicatur. Quod autem ſeroſus ille liquor ad fermenteſcendum maximè ſit proclivis, ita, ut vel quavis accedente cauſa turgeat & exardeſcat, ab ipſius præcipuè natura videtur dependere, dum in ſtatu quidem naturali blandus, mitis ac roſcidus ille eſt, mutato verò hoc ordine ⊖ina corpora quæcunq; ac fermenta promptè ſuſcipit, omnibus jungi amat, facilè mobilis eſt, & nusquam non reliquo ſangvini heterogeneas ⊖inas particulas (quas non tam acidas vel alcalinas, quàm ſal-

 ſas

ſas minùs ſeparatas ſtatuere poſſumus) firmo utpote connubio ſociatus, affricare aptus natus eſt.

Imprimis verò (præter reliquas corporis partes ſeri hujus fervore ac motu attactas) *glandulæ* capitis, ipſique *pulmones* notabili afficiuntur moleſtia. Videlicet dum ſuperfluus ille aquoſus humor, per cutis aliàs ſpiracula excernendus, naturali ſero intimiùs miſcetur, inq; vaſis cumulatur, febrili tandem accedente effervescentiâ, (poris cutaneis propter ipſorum conſtrictionem relictis) conſveta humorum ſalivalium colatoria capiti adſita, aſperæq; pulmonum arteriæ infixa, non ſine partium adjacentium inſigni detrimento, pertranſit.

Patet inde quid de partium Mandantis, Transmittentis & Recipientis diſcrimine ſtatuendum hoc loco ſit. *Mandans* videlicet *pars* nobis erit tota *vaſorum ſangvineorum congeries*, in iisq; contenta *maſſa ſangvinea*, cordis beneficio motum adepta, quæ dum *ſeri* (individui aliàs ſui comitis) à ſtatu ſuo blando deſciſcentis *peregrina admixtione*, canales ſuos nimium replet, accedente *novo fermentationis motu* in altum exſurgit, ſeſeque dilatando eruptionem molitur, & per ea demum ſpatia, quæ ſeri ſalivalis ſeparationi aliàs natura conſtruxerat, *ſuperfluum hunc ichorem* expellit, ſeſeque ab heterogeneorum humorum ſarcina ex parte liberat.

Quod verò non ſemper catarrhalis ille ſuperfluus liquor divortium à ſangvine faciat, idcirco videtur contingere, quod non quovis tempore, hyberno præſertim ac frigido, ſeroſæ illæ particulæ æquè ſint explicabiles ac tumidæ, ut quâvis ſui parte extremas glandularum oras petere, perq; eas (præſertim conſtrictiores) elabi poſſint, ſed compedibus quaſi ligatæ cum reliqua ſangvinis maſſa, uniformi tanquam corpore, citra inſignem viventis moleſtiam circumduci ſe quaquaverſum patiantur; aſt quàm primùm magma illud ſangvineum vel ob anni temporum mutationes, vel aliâ quavis de cauſa, intumeſcere, incendi, diſgregariq; cœperit, tum à vinculis ſuis libera hæc ſeroſitas, quâ data porta, ruit, exitumque per conſveta

ſveta ſibi aliàs loca molitur. Etenim tranſpiratione pororum libera & ſibi conſtante, exhalatio ſui adhuc juris eſt, hyberno verò ac frigido auſtrino aëre ſeroſæ & ϴinæ particulæ ſubtiliores, quæ jam ut ſuperfluæ hîc exitum expectabant, retentæ, quaſi coagulantur, hinc in motu turbantur, & quaſi tumidæ evadunt.

Transmittentes partes ſunt *glandulæ* ſupra memoratæ, quæ ab implantatis ſibi arteriis delatum cum ſangvine ſerum diſterminant ac ſegregant, perq; peculiares ductus (vel longiores vel breviores, majores minoresve, pro ipſarum magnitudine ac mole) ad fauces, ventriculum, & pulmones exſtillare faciunt. Non deeſt enim glandulis aptitudo huic inſerviendi ſcopo, cum teneræ ſint ac molles, texturæque laxioris (debiles ob id partes vocatæ) humoribus percolandis ac transmittendis perquam commodæ: iis præterea in locis ſitæ, unde ab auribus ad os, ab oculis ad nares, à naribus ad fauces ac palatum, à faucibus ad pulmones (ſi quidem catarrhorum aliquid ex ore in aſperam arteriam delabi putemus) & ventriculum, prompta ac facilis conceditur via.

Recipientes deniq; partes ſunt omnes illæ, quæ ingruente catarrhali febre præ aliis malè habent, in quarum ſcilicet cavitatibus materiæ defluentis vel tranſſudantis eo tempore fit collectio, uti imprimis ſunt fauces, ventriculus, pulmones, aliæq; partes, quarum in ſubſequentibus ulteriorem faciemus mentionem.

CAPUT V.

Cauſæ remotæ.

NUnc ad remotas cauſas acceſſum facimus, quarum indagatio curationem rectè inſtituendam non parum adjuvat, & magni inſuper momenti res eſt, cognitum habere, qua ratione maſſam ſangvineam cum admixto ipſi ſero alterare, corrumpere, & labe aliqua contaminare va-

leant. Tantum nimirum remotæ hæ causæ ad febrium catarrhalium generationem conferunt, ut absq; earum *συμφάσει* vix unquam catarrhales produci nobis persvadeamus.

Quotquot verò illarum observatæ hactenus sunt, tribus potissimum modis suum hîc conferunt symbolum: 1. quædam *fomitem* subministrant, sive *materialis causæ* rationem habent, augendo seri in corpore proventum: 2. quædam *humores* jam in vasis contentos *movent, rarefaciunt, liquant*, vel etiam *turbant*. 3. quædam denique eorum, quæ *evacuari* naturaliter per cutis poros aliasve vias debebant, *egressum* ac *secretionem cohibent, reprimunt* ac sufflaminant; unde serosos pituitososq; humores in sangvine coacervari, necessum est.

Ut verè singulas causas hisce modis in corpore nostro agentes breviter consideremus, lubet eas juxta *rerum naturalium, non-naturalium* & *præternaturalium* usitatas classes examinare, initium faciendo à NATURALIBUS, inter quas primum locum obtinet *Temperamentum* idque vel *totius* corporis, vel quarundam saltim *partium*.

Totius quidem culpâ catarrhos gigni contingit, quatenus calore minùs vegeto corpus aliquod præditum est, nec firmum satis robur obtinet in dissipandis humidioribus, aqueis uvidisq; particulis massæ sangvineæ permixtis; quale temperamentum illud est, quod *frigidum & humidum* vocari aliàs solet. Quò enim vigoroso magis & spirituoso sangvine corpus præpollet, eò minùs aquosi aut pituitosi humoris exundantiâ obruetur; at, si langvidior vitalis flamma fuerit, pabuloq; minus 🜍eo sustentata, tum, præsertim si accessu ⊖ini stimuli fluxilius redditum & quasi acuatum fuerit serum, uberrimo aquarum affluxu irrigari ac perfundi id ipsum, morbisq; catarrhosis obnoxium reddi faciliùs poterit. Post hoc ipsum non minùs *calidum ac humidum temperamentum* maximè ad catarrhales febres est dispositum; licet enim calido & humido vita gaudeat, attamen si vel minimum proportione naturæ le-

leges exſuperet, promptuarium evadit morborum talismodi aptiſſimum.

Habitus quocꝫ *corporis* denſus, craſſus, obeſus, diſſlandis ſeroſitatibus uti minùs ſufficiens ac commodus, ita generandis & accumulandis iisdem præ omnibus maximè facilis & pronus exiſtit.

Viſcerum verò *particularia temperamenta* quod attinet, varia hîc ab Autoribus proponuntur. Pleriꝗ *Cerebrum* accuſant, quod, cum ex ſua natura *frigidum* ſit & *humidum*, largo ſemper pituitæ ac ſeri fonte ſcaturiat, (*vid. Ariſtot. de gener. anim. c.* 3.) ſuosꝗ rivos in ſubjectas partes ubertim demittat. *Helmontius* contrà cerebro pituitæ ſeparationem falsò imputari autumat *lib. catarrh. deliram.* inſcripto, peculiaris *Viſcerum fermenti corruptionem* incuſans. *Montanus in Conſil. Hepatis caliditatem* & ſimul *ventriculi frigiditatem* (eodem licet in ſubjecto) pro catarrhorum cauſa agnoſcit, nimirum quod ob ventriculi frigiditatem cruditates oriantur, quæ ab hepatis caliditate ſurſum ad caput delatæ, in eo, tanquam in alembico, ſub pituitæ forma colligantur, & ad ſubjectas partes iterum depluant.

Autorum lites componere, vel Veterum ſubruere hypotheſes, animus nunc non eſt, cum in effectis quidem & curandi ratione diſceſſum ab iis omnino non faciamus; interim principia tantùm & cauſas aliter conſtituere, ex quibus certior eventuum ratio reddi queat, liberum fortè cuivis fuerit. Sufficiet hîc de viſcerum temperamento noſſe, quod non ſola ipſorum caliditas, frigiditas, vel humiditas attendenda ſit, ſed multis aliis modis eorundem actio lædi, vitiumque inde communicari corpori poſſit.

Ventriculus, coctionis publica officina, ſi fermenti ſui ratione officio debitè fungatur, nutritioꝗ ſuccō laudabili partes alat, integro vigore ſingulæ ſubſiſtent, nec incolumitatis adverſæ ſubibunt pericula; quod ſi verò alimentorum digeſtionem coctionemꝗ ventriculus perfunctoriè ſaltim aggrediatur, tantum abeſt, ut corpus grato reficiat nutrimento, ut potius alieno ac fæculento humore

id

idipsum obruat, multarumque cruditatum autor existat. *Hepar*, si ratione bilis suæ ferocientis aut quovis modo æstuantis, incalescat, humores fortè reliquos ab eo incendi, serumq́; , si abundaverit, in fervorem agi, vero non absimile videtur. *Cerebrum*, quatenus pro glanduloso quoque corpore habetur, & in naturali statu lymphâ abundè instructum est, ad materiæ catarrhalis generationem aliquid etiam conferre poterit, dummodò seri è cranio descensus, certiores, ac pro explicandâ catarrhorum doctrina sufficientes meatus repererit. Reliquas verò partes seri generationem vel ejus alterationem multum adjuvare, vix putandum est, si *glandulosa* tantum excipias *corpora*, non ea duntaxat, quæ faciei sunt, sed & ipsi cuti totum corpus ambienti adhærentia, quorum constipatio quàm variis ægritudinibus, febribus præsertim catarrhalibus ansam præbeat, extra controversiam est.

ÆTAS succedit, quæ immunis quidem nulla reperitur, *puerilis* tamen malo huic præ aliis est obnoxia; multo enim sero hæc ætas abundat; humiditate diffluit, frequenti alimentorum usu ac copioso inordinatè delectatur, ventriculo tamen ob ἀδδηφαγίαν debili minusq́; firmo est prædita; unde vitiosis humoribus & serosâ cruditate præmaturâ eam occupari necessum est.

Senilia quoq́; *corpora* ab hoc censu non excludenda, ob calorem nativum fatiscentem, viresq́; cum labentibus annis imbecilles ac deciduas, tonum item ventriculi jam flaccescentem ac langvidum, qui proinde, fermenti accedente inertiâ, cibos, licet optimos, nec digerit satis, nec in succum corpori alendo commodum, sed crudum potiùs ac pituitosum convertit. Accedit huc, quod Senes ut plurimum plus potum quam cibum ament, sæpeq́; genio suo nimis indulgeant.

SEXUM quod attinet, *viros* magis quam fæminas hôc corripi affectu deprehendimus, id quod *victus* quoq́; rationi adscribendum videtur, cum luxuriei magis viri quàm fæminæ dediti sint, sæpiusq́; diætæ errores illi, quàm

hæ

hæ incurrant, iisdem quoque fœminis superflua serosa humiditas per menses benè habentes evacuetnr.

Rerum nunc NON-NATURALIUM instituemus examen, ubi primum locum obtinet *Aër* corpus nostrum extrinsecus ambiens & inspiratione attractus, qui, ut in variis producendis affectibus summæ aliàs efficaciæ est, ita catarrhosis morbis generandis tantùm non solus aliquando sufficit. Non autem quævis aëris dispositio eodem modo corpus nostrum alterat, sed pro qualitatum discrimine hôc vel illo modo agentium, operationem suam determinat.

Frigidus aër, quatenus cutis poros coarctat, & vasorum capillarium constringit ramos, non humidi tantùm *aquei* διαπνοὴν sive *exhalationem* cohibet, sed idipsum quoque (inspiratione præsertim attractus) tenuitate sua ex parte privat, incrassat, & torpidum quasi reddit minusque fluxile; unde sensim aquea hæc (pituitosa nunc vocanda) progenies sangvinis miscellæ adunita, in vasis subsistit ac coacervatur, & multorum deinceps malorum existit origo. Hæc causa est, quod, qui aëris frigidi injuriis multum sese exponere coguntur, catarrhosis affectibus præ aliis sint obnoxii.

Calidus aër, dum inspirationis lege pulmones intrat, fervidisque suis particulis transeunti vel allabenti sangvini sese immiscet, humores in eô rarefacit ac fundit, &, si tanta adfuerit seri priùs collecti copia, motum ibi præternaturalem, ac varii generis febres, catarrho imprimis comitatas, producit.

Inæqualitas verò *aëris* in humorum excitanda δυσκρασίᾳ palmam sibi præripit. Quemadmodum enim subita in contrarium mutatio (teste *Hippocrate*) omnis aliàs periculosa est, ita crebriores ac contrariæ *tempestatum vicissitudines*, aërisque frigidioris in fervidum, aut fervidi in frigidum subitaneæ transitiones, nunquam ferè non κοποφόροι sive ægritudinum plenæ existunt. Quoad ipsam quidem *substantiam* aër, dum catarrhosis febribus ansam præbet, ut plu-

rimùm non peccat, nec ullam corruptionis notã prodit; sæpè tamen etiam contingit, ut *μιάσματα* quædam maligna ac contagiosa ab insalubribus ac cadaverosis effluviis sibi impressa contineat, quæ, dum pulmonum bronchia subintrant. peregrinam in sangvine fermentationem cum febrili calore partiumque vitalium symptomatibus sæpè lethalibus producunt. Talismodi *catarrhales febres malignitatis* participes non pauci observarunt Autores, *Mercatus, Wierus, Forestus, Bokelius*, & alii, quorum observata huc adducere pagellarum angustia non permittit; imò verissimum esse videtur, quod nuper *Excell. Dn. D. Præses* in lectione publicâ de catarrhis monebat, tales febres rarò malignitate carere, eamq́ ex variis supervenientibus symptomatibus satis deprehendi posse.

Anni tempora subjungimus, quorum *mutationes*, asserente *Hipp. sect.* 3. *aph.* 1. morbos facilè pariunt, febrium præcipuè catarrhalium insultus. Toto quidem anni decursu ingruere hæ febres possunt, hyeme tamen in latitudine suâ consideratâ, (quatenus ad eandem & autumni finis, & veris initium omninò quoad hoc pertinet) omnium maximè sese produnt: *Vere* quidem, dum delitescentes & quieti per hyemem serosi succi, moveri jam, propullulare ac fermentescere incipiunt: *Autumno* verò dum is plurimas inæqualitatum vicissitudines patitur, humoris serosi modi *frigore* suo transpirationem impediens, modò *calore* iterum rarefactionem ejus & fluxum celeriorem promovens, de quo *Hipp. sect.* 3. *aph.* 4. Hinc observatum fuit crebriùs, & elapso quoq́ anno, si autumno temperatiori, subitaneum ingruat frigus, nec constanti tenore perduret, frequentissimas febres catarrhales exoriri. Accedit, quod fructuũ corruptibiliũ, quos vulgus horarios vocat, autumnali tempore ubertim generatorum usus promptum hujus affectus suscitabulũ subministret. Imprimis verò *austrina* & *humida* aëris constitutio, ut aliorum, ita etiam hujus morbi est feracissima, cujus noxas passim *Hippocrates* notat, imprimis *sect.* 3. *aph.* 13. *si autumnus*, inquiens, *pluviosus fuerit & australis, capi-*

tis

tis dolores fiunt, & tusses, & raucitates & gravedines.

Non tantùm verò consveta *anni temporum* mutatio, sed & magna eorum *inordinatio*, dum, præter morem, v.g. hyems intenso nimis frigore, vel calore excessivo Æstas delinquit, febrium catarrhalium apparatum secum ducit; quale quid observavit *Willisius lib. de Febr.* ubi catarrhalem febrem describit, medio vere epidemicè grassantem, ob nimium brumæ præcedentis continuum frigus ortam.

Cibus & Potus quantum in producendo hoc affectu habeant valoris, neminem omninò latet, qui alimentorum qualitates sive bonas sive malas sangvinem penitus æmulari cognoverit. Potest autem in iis assumendis variè peccari, dum vel in *quantitate*, vel *qualitate*, vel *utendi modo* error aliquis committitur.

Quoad *quantitatem* delinqvunt, qui alimenta, quamvis laudabilia, nimis magnâ copiâ ingerunt, unde non solùm fibrarum ventriculi nimia fit distensio, sed & ipse fermentalis liquor præter modum obruitur, assumptaque debito modo non subiguntur; quo fit, ut præpeditâ ipsorum digestione, debitoque recrementorum inutilium secessu, crudiores succi copiosiùs in sangvinem transeant.

Ratione *qualitatis* malum hoc in sese derivant, qui pravo utuntur victu, cibos potusque assumunt corruptos, vel succis superfluis, aqueis, fluidioribus refertos, labe hinc in sangvinem, naturæ vix corrigendâ, redundante.

Utendi deniq; *modus* intempestivus ac præposterus, dum neglecto assumendorum ordine vel potulenta semper cibis præmittuntur, vel sæpius in die ciborum ac potuum usus, prioribus nondum digestis, iteratur, magnum in colligendis vitiosis humoribus momentum confert.

Esculentorum censum subeunt cucurbitæ, cucumeres, portulaca, atriplex, pisces paludosi, anguillæ, tincæ, aves in stagnantibus aquis degentes, anates, carnes suillæ, panis non ritè fermentatus, quatenus pleraq; hæc materiam pituitosam sangvini suppeditant; Cepæ, porrum, raphanus, fructus horarii, quatenus humores simul movent,

 irri-

irritant, & ad fermentationem aptos reddunt. Cætera esculentorum genera, quò enumeratis hisce magis affinia sunt, eò promptiùs febrium catarrhalium pabula subministrant. Inter *potulenta* mustum, illudque imprimis quod in fermentatione impeditum, vina it. aquosa, cerevisiæ fœculentæ, turbidæ, fermentationem non satis passæ, non levem in hoc producendo affectu operam præstant.

Motus & *Quies*, si vel limites transcendant, vel minùs commoda habeant tempora, promovendis his febribus sæpiusculè ansam præbent. *Corporis* quidem *motus*, secundùm varia exercitiorum genera institui solitus, isque *nimius*, præsertim post cibum sumptum, ventriculi actionem in expellendo chyloso liquore præmaturè accelerat, partium utilium ab impuris debitam sequestrationem impedit, sangvinem cum humoribus antea quietis, vel torpidis, enormiter exagitat atque turbat, spiritus deniq; humorum aliàs vitiosorum moderatores eliminat ac disjicit; unde varia corpori incommoda exsurgere, nemo non videt. *Montanus l. de morb. part. cons.* 100. fœminæ exemplum proponit, quæ à nimio *saltationis motu* catarrhum cum febre continua incidit. *Vigilias* huc *nimias* refero, quæ itidem corpus insigniter calefaciunt, humorumque agitationem promovent. *Animi* verò *motus* ac perturbationes vehementes notabilem quoque humorum motum ac ebullitionem producunt, ubi *Ira* imprimis eminet, quæ sangvinem in vasis nimium exagitat, ejusq; per cor transitum præposterè cogit ac reciprocat, unde juxta *Scherbium* nihil sub sole vehementius humores ciet, quam Ira.

Quies contra nimia, *vitaq; deses* & otiosa, *somnus* item immodicus, quia partim superfluæ humiditatis per cutis spiracula exhalationem impediunt, partim humores sangvini admixtos inertes reddunt ac ignavos, corpusq; universum heterogeneis ac impuris ichoribus replent, in febrium harum generatione promovenda non parum conferunt subsidii.

Excreta & Retenta præprimis hîc considerari merentur,

qua-

quatenus ea, quæ secundum naturæ leges evacuari ex corpore debebant, vel in totum retinentur, vel in fluxu jam inchoato sistuntur, variaq; in vasis ac visceribus, inquinamenta colliguntur. *Ἀδιαπνευστία* imprimis, sive effluviorum per cutis poros *cohibita transpiratio*, uti in omnibus febribus generandis, ita præcipuè in hacce, maximam efficaciam obtinet & sola ferè nonnunquam in causa est, quod sangvinis massa tam copiosâ humorum serosorum prole fœcundetur. *Sudoris* suppressa evacuatio, si vel motu is fuerit excitatus, vel arte institutus, vel spontè quibusdam noctu fluat, (uti scorbuticis) accedente partium denudatione subitaq; refrigeratione, insignem corpori alterationem affert, materiaque aquosa per corporis ambitum jam transitura sistitur ac repellitur. Qui *sputis* copiosis, manè præsertim, vel crebris *salivationibus* divexantur, si quando serosi hujus liquoris separationem cohiberi accidat, hi ob restitantes illos humores facilè deinceps ad catarrhales morbos disponuntur. De reliquis excretionibus quædam hîc addere superfluum videtur, cum, quæcunq; illæ sint, si supprimantur, facilè appareat, peregrinâ corpus saburrâ aggravari, febresque potissimùm serosas accendi.

Res deniq; PRÆTERNATURALES paucis memorandæ veniunt, quæ, uti variæ sunt, pro subjectorum his vel illis affectibus obnoxiorum diversitate, ita sæpius in accersendis his febribus plurimùm valent. Imprimis *cachectica* corpora & *scorbutica*, item ab hypochondriorum affectu malè habentia, catarrhosas febres facillimè incurrunt, sero videlicet ipsorum tum acri, tum copioso exæstuante, & ad glandularum confinia delabente, ibidemque excreto. *Scabies* quoq; intempestivè curata ac retroacta, *abscessus* item, &, quod nuper observavit *Dn. D. Præses, Fonticuli*, ut & *ulcera* maturiùs conglutinata, huc referenda, quatenus acriores ipsorum particulæ sangvini redditæ, fermenti instar eundem irritant & exagitant, & ad glandularum simul colatoria cum attenuato sero transportantur.

Febribus quocꝫ aliis, & variarum *evacuationum suppressionibus* hîc non recensendis, *Viscerum* quocꝫ *intemperiebus*, de quibus ex parte jam suprà actum, supervenire vel succedere solent.

CAPUT IV.

Signa diagnostica.

EXpositis Causis ad *Signa* nunc investiganda provehimur, quorum cognitio summopere est necessaria; quantum enim in dignoscenda morbi præsentia de Signis nobis constiterit, tantum in sanatione perficienda felicitatis obtinebimus. Sunt autem alia *Diagnostica*, alia *Prognostica*, Diagnostica alia sunt *imminentis* morbi, alia verò *præsentis*, quæ accuratiùs jam considerabimus.

Imminere febrem catarrhalem, ostendit primò *ἀνωμαλία* quædam corporis sive *inæqualitas*, quâ correpti de valetudinis integræ carentia quidem conqueruntur, nullâ tamen notabili molestiâ affectos se esse sentiunt, nec verbis inordinationem illam exprimere queunt; donec spontanea quædam *lassitudo* sensim subrepat, & *dolor gravativus* musculosum genus, artus imprimis ac dorsum corripiat. Succedit deinde *capitis dolor* gravativus, aliquando continuus, aliquando per intervalla affligens, & *galeæ* seu ponderis capiti inhærentis sensum obscurũ præ se ferens. *Horripilatio* quocꝫ per vices accedit & recedit, sed quæ ob levitatem ab ipsis ægris sæpe vix advertitur, cum detrimentum inde notabile nondum percipiant.

Præsentem verò affectum demonstrant signa varia, eaꝫ I. ESSENTIALITER INHÆRENTIA, videlicet quæ morbum primariò constituunt, & de ejus essentia, more ac indole, certo certiùs testantur. Talia sunt (1) *Horror* leviusculus cum ingruente mox *calore febrili*, totum corpus invadente; quæ febrilis tamen intemperies non omnes æquali intensionis gradu urit, & lecto affixos tenet, sed mitior

tior in nonnullis est; & aliqualem adhuc obambulandi, vitæq; obeundi munia, promptitudinem concedit. (2.) *Tussis* molestissima, cum *pectoris angustia* ac *dolore*, & *respirandi difficultate* satis magna, subsequente mox *raucedine*, affectum hunc plerumq; comitante. *Tussis* illa initio quidem morbi *sicca* sæpissimè est, sine ulla phlegmatum rejectione; progressu verò morbi *humidior* fit, & copiosa nonnunquam sputa educuntur. *Willisius* cruenta aliquando sputa in his febribus evacuata esse, *lib. de feb.* notavit, item *Bokelius Synops. catarrh. febril. c. 4.* (3.) *Faucium* ac palati *intumescentia*, cum conjuncto nonnunquam *tonsillarum* aliarumque *colli glandularum* (*parotides* quoq; tumidas *Bokelius l. c.* memorat) tumore, anginam aliquando mentiente, præviis utplurimùm *sternutationibus*, *humoris*q; *acris*, imò *sangvinis* interdum, ex naribus *profluvio*, orisq; *salivatione*, unde (4.) signum *coryza* molesta constituere omninò potest. Et hæc quidem signa aliquando simul ferè adsunt, interdum tamen se invicem per intervalla quædam breviora subseqvuntur.

II. ESSENTIALITER CONSEQVENTIA, sive quæ prioribus positis abesse vix possunt, sed ex necessitate quadam adjunguntur, quò universus symptomatum concursus pertinet. Videlicet in *naturali facultate Ventriculus* grandem patitur noxam, debilitate, inappetentiâ, nauseâ corripitur, imò ad vomendum aliquando vehementiùs contrahitur cũ seri alicujus pituitosi exturbatione. *Intestina* quoq; non omnino innoxia sunt, dum sæpe *mucosum serum*, vel fortiùs stimulata, sangvinolentam colluviem per inferiora deponunt. *Fauces* humore tenaci ac viscido obducuntur, *Lingva* modò arida magis est, modò limo obviscata. *Sitis* respectu aliarum febrium, quas cómitari plerumq; solet, adest quidem, ob ⊖inas atomos, sed longè minor, ob dilutius diffusiusq; serum. In *vitali pulmones* varia experiuntur incommoda, *anhelitum laboriosum* cum suffocationis aliquando metu, *distensionem* gravem, cum ruptionis vasorum periculo, ipsorumque simul *bronchiorum* à serosa ex-

fu-

ſudante colluvie *coarctationem* & anguſtiam. In *animali Caput dolore* gravativo, leniori initio, mox verò ingraveſcente, attentatur, *vigiliis* turbatur, vel *ſomno*, ſi quando adſit, *turbulento*, gravibusq́; *inſomniis* divexatur, unde *delirio* tandem corripi ægros in his febribus non rarò accidit. Adſunt nonnunquam & alia ſymptomata, ſed ea vel reliquis febribus communia, vel pro individuorum natura ac conditione differentia, ideoque hic ſeorſim non enumeranda.

III. CAUSÆ prægreſſæ, diſpoſitionem quandam vel aptitudinem his febribus conferentes, quales variæ omnino ſunt capite præcedente enumeratæ.

IV. SIMILITUDO tandem non rarò morbi præſentiam patefacit, præcipuè cum epidemium in morem plures ex communi cauſa invadit, concedentibus quaſi in hunc, aliorum epidemiorum exemplo, reliquis morbis.

Cauſarum ſigna, remotiorum imprimis, conſiderationem hîc vix merentur, cum partim per ſe manifeſta fiant, partim ex ipſa ægrorum relatione haberi non difficulter poſſint.

Signa prognoſtica quod concernit, de iis cap. VIII. agemus.

CAPUT VII.

Symptomatum Ratio.

CApite præcedente varia propoſuimus phænomena, quæ febribus catarrhalibus juncta eſſe conſvevêre; ut igitur natura illarum febrium clariùs pateat, rationem omnium ſymptomatum, quoad fieri poteſt, exactam nunc reddere allaborabimus.

Inæqualitas morbum antecedens, *laſſitudo* ſpontanea, *dolor* artuum, dorſi & capitis *gravativus*, inchoantem humoris ſeroſi turgeſcentiam ac commotionem præternaturalem indicant, quo ipſo fit, ut efferveſcens hoc ⊖inum ſerum, inque vaſis ſenſim rarefactum, eadem diſtendat, in muſculos verò ita inordinatè influens carnes eorum ac fibras

teras premat, membranas sensu molesto, at obscuro, feriat, eamque, quam diximus, ἀμετρίαν introducat.

Horripilatio per intervalla accedens & recedens, ab inæqualibus & magis jam magisque ebullientibus, genusque membranosum stimulantibus particulis originem ducit, ita tamen, ut inducias nonnunquam illæ uanciscantur, & dum elevari ac efflorescere aliquo modo cœperunt, mox tamen iterum quietiores reddantur, ac detumescant.

Subseqvus verò, increbrescente morbo, febrilis *horror* majorem jam humoris morbifici mutationem, deterioremque statum arguit, dum nimirum is aliquantò jam fortiùs insurgens, acriorque sensim redditus, ambitum corporis liberiùs pervadit, partiumq; sensibilium, panniculi præsertim carnosi, vellicationem infert.

Calor tandem ac æstus febrilis plenariam heterogenei illius seri ebullitionem incensionemque denotat, quo tum igne expansum illud magis ac liquatum, violentiùs in canalibus suis fertur, mediant eque cordis motu in universum corpus diffunditur. Non tamen hic febrilis fervor in omnia corpora idem exercet dominium, sed benigniùs prehendit ea, quibus laudabilior habitus, & massæ sangvineæ firmior compages, nec facilè dissolubilis, æstuante tantùm aquosiore tenuioreque illius parte: quæ verò sunt δυσδιάφορης, valetudinaria, cachectica, sangvine impuriori, promptè fatiscente, turbariq; apto prædita, duriùs ac violentiùs invadit, nec, ut illa, paucorum dierum intercapedine absolvit, sed gravi satis ac periculosâ plagâ diutiùs infestat.

Quandoquidem verò fervidum hoc serum, in vasis antea coarctatum, jam verò capaciora requirens spatia, exitum alicubi tentat, qui à corporis tamen poris constrictioribus adhuc, ipsi denegatur, impetuosiùs idcircò partim ad *pulmones*, partim ad *glandulosa corpora*, seri aliàs naturalis secretoria, decumbit, ibidemq; pro cujuslibet partis dispositione varia excitat symptomata.

Tussis igitur simul cum febre ingruens non aliunde videtur

detur esse deducenda, quàm à seroso ichore per effervescentiam prædictam in cruoris massa commoto ac dilatato, éque lævibus pulmonum arteriis in asperas transeunte, ibidemque, dum parcior adhuc esset illius secessus, & pulmonum pori angustiores, *siccam*, dum verò patentiores iidem redditi, & materia serosa penitiùs sangvinem derelinqueret, *humidam* tussim producente.

Separari autem serosas has fæculentias in ipso *pulmonum* corpore, dubium nullum videtur, cum naturaliter quoque humiditatis ibi alicujus ex arteriis sangvifluis in bronchiales fiat transitus, quod *Malpighii* experimentum (in injecto arteriam pulmonalem liquore, qui in asperam usque arteriam agitando penetrat) satis confirmat, & ipse quoque *Rolfinc. diss. de Catarrh. p.7.* ex arteriis lævibus materiam catarrhosam suffundi in pulmones existimat. *Montanus de Feb. Cons. 29.* fæminæ exemplum recenset catarrho insipido cum febre laborantis, quæ sangvinem cum tussi rejecit: ipse verò *Montanus* non à vasorum pulmonalium ruptione sed transsudatione in asperam arteriam fluxum hunc sangvinis ortum arbitratur; unde multò probabiliùs pituitosos humores ex vasis sangvineis in bronchialia penetrare posse, quispiam asseruerit.

Delabi verò *materiam* hanc, quæ tussi rejicitur, *à faucibus in pulmones*, probabile mihi non videtur, cum sæpe in ipso ore humiditatis nihil quicquam percipiatur, (lingvâ potiùs siccâ, palato arido existente) & nihilominus crebriora cum tussi sputa rejiciantur; renuente insuper id exquisito asperæ arteriæ sensu, qui ne minima quoque peregrina, acria præsertim, in ipsam descendere, nedum moras ibi nectere, permittit. Interim phlegmata in catarrhosis affectibus rejici solita, an omnia ex pulmonibus ascendant, dictum nolumus, cum aliis etiam in locis ea separentur: neque etiam *pectoralia medicamenta*, vel potiones vel sirupos, expectorationem aliàs promoventia, si in pulmones non descendant, frustra exhiberi asserimus, sed locum ea nihilominus habere omnino putamus. Nimirum pectoralia

ralia exhibita, præsertim Sirupi, pituitosa illa crassamenta, palato, laryngis extremitatibus, ipsisque tonsillis agglutinata, dum iis adhærescunt, resolvunt, liquefaciunt, & ad eductionem apta reddunt, quæ postmodum, accedente tussi ac screatu, non ita difficulter ejici se patiuntur; quin ab ipso aliquando ventriculo catarrhosa hæc recrementa (citra tamen vomitum) ejici nonnulli existimant, persvasum habentes, motum pectoris in tussi validiorem è ventriculo etiam simul compresso molem istam pituitosam ac lubricam facili negotio posse excutere, præsertim si medicamentis ad exitum fuerit disposita, id quod subsequens etiam aliquando vomitus confirmare videtur. In ipsos verò laryngis meatus thoracica medicamenta immediatè non descendere mihi videntur; nec tamen eorum sententiam facilè hîc amplectimur, qui eductionem pituitæ ex pulmonibus putant fieri, quatenus emollito per sirupos œsophago, ob tunicam communem, aspera quoque arteria à sirupis transsudantibus irrigetur; sed solâ pectoris concussione in tussi observabili (non exclusâ tamen medicamentorum circulationis lege eò deductorum operatione) materiam serosam ex bronchiis pulmonum exturbari putamus. Facilè hinc patet, quid de reliquis in thorace obviis symptomatibus, *angustiâ* ac *dolore pectoris*, *spirandi difficultate*, *raucedine*, judicandum sit; omnia nimirum hæc à peregrino illo muco inspirationis organa intus obviscante originem ducunt, præterquam quod pectoris illa angustia in ventriculo sæpe ipso sedem suam habeat.

Circa *Fauces* quæ occurrunt symptomata, *palati*, *tonsillarum*, *glandularumque colli* variæ molestiæ, *narium* item *fluxus* vel serosus vel sangvineus, cum conjuncta *sternutatione*, allabenti ad eas partes sero exagitato adscribēda videntur, ubi, quæ officio suo funguntur glandulæ, tenuiorem hunc laticem in oris & narium cavitatem dimittunt, quæ verò vitio aliquo præpeditæ, vel ubi nimis impetuosè humor irruit, in tumorem aliqualem aguntur, aut alio quodam modo afficiuntur. Omnes scilicet glandulosas ad caput par-

 tes,

tes, quæ salivalem aliàs humorem in os ac ventriculum demittunt, seri hujus præternaturalis secretioni vacare, tam certum est, ut, qui negare audeat, partium harum usum minus rectè cognitum habeat. *Schneiderus* cum in dubium vocat materiæ catarrhalis ex cerebro ad os & pulmones descensum, tunicam palati extremam, *membranam pituitariam* ipsi dictam, substituit, & per eam catarrhos quoscunque ex sangvine transsudare ingeniosè affirmat. Hanc sententiam ego ex parte amplector, quatenus non ex cerebro, sed à sangvinis massa deducit serum, ex parte autem ab eâ secedendum puto (quod separationis præsertim modum attinet) dum serum ad membranam illam cum impetu impulsam *per conniventia vasorum oscula* immediatè in fauces excidere docet, neq; ullam glandularum in membrana ista contentarum mentionem facit; nam quicquid per hanc palati tunicam exit, non proximè ex vasis sangvineis elabitur, sed mediantibus glandulis per peculiares ductus in fauces effunditur; nec præterea sola illa membrana sufficit, sed omnes in universum faciei ac colli glandulæ, sive in oculos & nares, sive buccas, palatum & œsophagum sese exonerent, hanc catarrhalis seri vel parciorem vel largam separationem unicè perficiunt.

Ventriculi vitia ab eodem seri præternaturali incendio ac segregatione deducuntur: *debilitas* quidem & *inappetentia* à fermento ventriculi magnam immutationem perpesso, quatenus vel in ipso stomacho intemperatius illud redditur, vel antequam in ipsum deveniat, variis partibus peregrinis permiscetur: *Nausea* verò & *Vomitus* à copioso pituitæ catarrhalis in ventriculum delapsu (vel mole ipsum gravantis, vel acrimoniâ vellicantis) oriuntur.

Diarrhææ causam Autores humoribus serosis per fauces & ventriculum ad intestina descendentibus, eaq; relaxantibus & ad excernendum stimulantibus attribuunt, quæ ex parte quidem ita sese habent; interim tamen defluxus hic à superioribus non sufficere videtur, sed magnam fæculentæ illius saburræ partem in ventriculo & ipsis intestinis, per *glandulas miliares* nuper detectas, (pituitam intestinorum mu-

mucoſam naturalem aliàs exſudantes) ſeparari probabile eſt. *Dyſenteria* ſi conjungitur, maximam humorum attenuationem, & rodentem acrimoniam, ſtimulis ſuis inteſtinorum ſubſtantiam ferientem, incuſandam eſſe, effectus ſatis oſtendit.

Faucium ſqualor, & *linguæ* ariditas unde ſint, ex ſupradictis patet, nimirum à pituita catarrhali ad partes illas demiſſa, perq; febrilem æſtum condenſata.

Sitis adeſt, ob præternaturalem corporis fervorem, per quem ſalivale ſerum (oris & faucium humectationi ex parte aliàs deſtinatum)ex glandularum canalibus effluens, nimis citò incraſſatur & ſpiſſeſcit, eoq; ipſo debitæ humiditatis aliqualis defectus exoritur.

Capitis variæ perturbationes, *dolor, vigiliæ, inſomnia, delirium,* ab eâdem humoris ſeroſi nimiâ commotione ac effervеſcentia dependent, tum quod vaſa & glandulæ cerebri à præternaturali iſtius influxu diſtendantur nimis ac tumeant, tum etiam, quod ipſi cerebri pori vel ad defectũ ſomni omnimodum, vel ejusdem inordinationem variè disponantur.

Quod *circa noctem* moveatur magis & *exaſperetur* affectus, â natura ſeroſi humoris dependet, utpote qui ☽æ, noctis Dominæ, imperio, præ cæteris humoribus ſubjectus, eo tempore turgeſcere faciliùs poteſt. Et hæc de ſymptomatum explicatione ac cauſis ſufficiant.

CAPUT VIII.

Prognoſis.

QVamvis de febrium catarrhalium futuris eventibus certi aliquid præſagire non ſemper liceat, &, quod de acutorum morborum prædictionibus *Hippocr. ſect. 2. aph. 19.* adnotavit, hîc quoque locum habeat, tamen prognoſtica ſigna non omninò intacta relinquemus, ſed quid *boni* ſperandum, quidve metuendum *mali* in his febribus ſit, paucis

considerabimus. *Prognosis* igitur in eo versatur, ut 1. *Eventum* morbi, 2. *Durationem*, 3. *Modum eventus* determinet.

I. *Eventus quoad salutem & mortem* dignoscitur partim ex ipsa morbi *essentia*, quò scilicet copiosior, acrior & impurior seri in corpore proventus, & quò febrilis effervescentia vehementior existit, eò majus periculum inde metuendum: partim ex *consequentibus*, ubi symptomatum multitudo & insolita gravitas infelix sæpe portendit augurium. Præcipuè faucium insignis tumor, spirandi magna difficultas, & sangvinis cum tussi copiosa excretio, ob suffocationis, hecticæ, aliusve gravis mali periculum, dubium plerumque eventum præsagiunt. Naturales quoque & animales functiones si notabile detrimentum patiantur, hîc quidem vigiliis diuturnis, delirio fortiori, capitis immani dolore, illic verò enormi vomitu, alvi fluxu cruento &c. ingruentibus, sinistra potiùs quàm fausta licet ominari. Imprimis verò de salute dubitatur, ubi ingens virium prostratio, & vigiliæ continuæ adsunt, his enim plerumque deliria superveniunt, & nisi medicamentis & diætâ citò auxilium paretur, brevi mors ipsa succedit.

Causæ præterea vel vitæ securitatis vel mortis periculi signa prænunciant: tum *aër*, qui quidem ratione solius inæqualitatis periculosus adeò non existit, quatenus verò corruptis & contagiosis halitibus scatet, suspectum fore morbi eventum præmonstrat: tum *ætas*, infantilis præsertim & senilis, quæ, cum sero maximè abundet, vires tamen hujus ferociæ perdomandæ impares habeat, morbi insultibus violentioribus succumbere præ aliis cogitur. *Corpora* quoq; *infirmiora* & minus robusta, vel naturâ talia, vel prægressis aliis morbis enervata, non raro hujus affectus exitum infelicem experiuntur, ceu *Willis. in febr. catarrh. epidem.* observavit.

II. *Duratio* ex febrium catarrhalium naturâ desumitur, cujus ratione febribus acutis admunerantur, quæ brevioris sunt durationis. In se igitur consideratæ, curationem non ita difficilem vel longam reddunt, sed, si ritè curentur,

rentur, intra paucos dies ad salutem terminantur, non obstante, quod vestigia sua & reliquias per longiusculum tempus partibus imprimant. Ratione verò morbificæ materiæ crudioris, peregrinæ, nec facilè subjugabilis, sanatio nonnunquam protrahitur, vel morbus in alios febriles affectus, quartanam, hecticam, tabem, hæmophtysin &c. degenerat. Qui leviùs saltim decumbunt, tertio vel quarto plerumq; die, succedente diaphoresi, à morbo liberantur.

III. *Eventus modus* ad *salutem* fit, cum à degeneris seri contubernio natura sese liberans sensim illud discutit, perq; cutis poros quovis modo evacuat, aut, sicubi in pulmonibus ejus inchoata sit sequestratio, per sputa convenienter & citra molestiam expellit, prævio πεπασμῷ, & ad statum naturalem mitigatione. Ad *mortem* verò tendit, aut pulmonibus, quavis de causa infirmis (quod de connascentia eorum cum pleurâ *Bokelius* observavit) nimiumq; infarctis, aut non succedente (ob penitiùs immersam massæ sangvineæ aqueam serositatem) per corporis ambitum humoris morbifici evacuatione.

CAPUT IX.

Curatio.

CUrationem ritè inchoaturi usitatas illas *Indicationes* sequemur, quibus tanquam fundamentis tota morbi sanatio nititur, & convenientium remediorum potissima debetur inventio. Tales verò Indicationes sunt triplicis generis: 1. *Curatoria*, quæ in eo versatur, ut ipsum morbum tolli, & symptomata graviora removeri præcipiat: 2. *Præservatoria*, quæ causarum, remotarum præcipuè, ablationem vel correctionem svadet: 3. *Vitalis*, quæ vires tàm præsensentes conservari, quàm debiles roborari, prostratasq; restaurari indicat.

Cum itaque febrem catarrhalem suprà deduxerimus ab

ex humorum seroforum in massâ sangvinis collectione, fermentatione ac incendio, cum sequente variarum partium debilitate & noxâ, eosdemque humores à variis produci causis externis ostenderimus, illæ nunc *indicationes* oriuntur: (1.) ut ipsius intemperiei febrilis habeatur ratio, extingvendo obortum in corpore incendium, vel mitiorem saltim reddendo ejus flammam. (2.) ut coacervata serositas vel ante incendium, vel deflagrationem jam passa, è corpore eliminetur, irrequieta sedetur, & temperie suâ defraudata in pristinum ac naturalem statum reducatur. (3.) ut symptomatum vehementia mitigetur, partim malè affectarum vitale robur restauretur, spiritusque disgregati sibimet restituantur ac vigorentur. (4.) ut nova seri heterogenei productio, ejusve in vitiosam progeniem immutatio præpediatur.

Hisce igitur Indicationibus ut satisfaciamus, ipsa jam *Remedia* subordinabimus, quæ ex triplici hauriuntur fonte: *Chirurgico*, *Pharmaceutico* & *Diætetico*.

CHIRURGICA inter auxilia primò sese offert VENÆ SECTIO, quæ an in catarrhali febre indicetur, Autores inter se non conveniunt, dum alii eam proficuam, alii cum maximo vitæ discrimine administratam fuisse pronuntiant. *Sennertus de Febr. l.* 4. *c.* 17. Febris catarrhalis anno 1580. epidemicè grassantis meminit, ubi, quibus vena fuit secta, omnes interierunt, ita ut ultrà 2000 Romæ tum fuerint extincti. *Ballonius in Obs. p.* 283. ejus usum admittit, non catarrhi quidem ipsius respectu, quem hoc modo tolli dubitat, cum ejus ex capite sit descensus; sed quatenus cum sangvine humor catarrhalis confundatur, & febris simul sit conjuncta. Verùm periculo res omnis caret, & magno cum fructu magnæ hoc efficaciæ remedium adhibetur, dummodo *subjectorum* habeatur ratio, quibus venæ sectio vel prodesse possit adhibita, vel obesse intermissa; uti enim febris non promiscuè Venæ sectionem indicat, ita nec catarrhus eandem absolutè prohibet. Conjuncto igitur cum febre catarrho, more morbi aliisque circumstantiis non re-

pu-

pugnantibus, vena tutò secanda, si e.g. vires sibi adhuc constent, ætatisque robur permittat, nec corpus fuerit cacochymicum, aut malignitas aliqua febrem comitetur, qualis illa fortè fuit, quam *Sennertus l. c.* describit, *Bokelius* tamen in ejusdem febris descriptione *c.* 17. venæ sectionem magno cum auxilio administratam fuisse, sinistrum verò eventum intempestivæ & promiscuæ sectioni adscribendum existimat. Quod enim catarrhales potissimùm febres attinet, per Venæ sectionem non vasa tantùm sangvinea deplentur, unde febrilis æstus plurimùm remittit, serique exæstuantis ὀργασμὸς sedatur, cum imminuta simul ejus copia; sed & humoris morbifici impetuosior ad partes affluxus inhibetur, motuque ducitur contrario, unde vel cephalalgiæ urgentis, vel anginæ aut suffocationis præsentissima sæpè existit medela. Non tamen æquè liberaliter ea semper instituatur, sed ad cruoris ipsius copiam ægrique vires sit mensurata, & præstat parcum esse in hoc casu, quàm effusum & liberaliorem, ne sangvinis, rubicundi illius vitæ balsami, animæ corporisque vinculi, pænitenda fiat profusio. Quæ *initio* febris fit Venæ sectio, convenientior quidem habetur, attamen & morbo augescente, si nimius sangvinis fervor, ac immanes adsint vigiliæ, eam denuo repetendam esse, *Willisius* monet. *Locus* absq; venarum curioso delectu determinetur is, qui vel evacuationi vel revulsioni aliive intentioni commodissimus videbitur.

Reliqua Chirurgiæ præsidia tantopere hic non efflagitantur, cum plerorumq; tardior ac remissior sit operatio, nisi *cucurbitulas* fortè in usum aliquando trahere placeat, præsertim in magna virium imbecillitate, & spirituum exigua supellectili. Præservationis ratione *Fonticulorum* quoque usus non improbandus fuerit.

PHARMACEUTICA nunc videamus remedia, quorum *alia* humorum *abundantiam* vel per intestina, vel corporis ambitum evacuant, *alia* eorundem vitiosas *qualitates* alterant ac immutant, *alia* denique *vires* ruinam minitan-

tes

tes, vel collapsas, firmant ac erigunt, *visceruḿq;* peculiarium curam peculiarem gerunt.

LENIENTIA (ut consveto progrediamur ordine) magni usus sunt; ut enim in genere, ubi purgantibus non æquè locus est, ipsis patet aditus, ita etiam hoc loco, ceu in omnibus morbis, alvum esse apertam præstat, ad humores in ventriculum ac intestina, tanquam sentinam ordinariam, demissos leniter subducendos. Præcipuè salutaris eorum adhibitio est in *initio* morbi, quatenus fomitem simul febris è corpore exterminant; quale quoque commodum à Clysteribus injectis sæpe impetratum fuit. Eum igitur in finem ex *Manna Calabr. Mechoac. alb. Sirup. rosar. solut. Sirup. de polypod. MPil. de Succin. Craton. Cryst.* ♀ & similibus variæ concinnari possunt Lenientium formulæ. Sic

℞ ▽ *Cichor. Acac. Fumar.* ãã ℥j *Extr. Rhab. Fol. Sen.* ãã ℈ß *Sir. rosar. solut.* ℥j. M. F. Potio S. Laxir-tränckleín.

℞ *MP.* ♀*ear Querc. Aloës rosat.* ãã ℈j. *Extr. Cartham.* ℈ß *Theriac. gr. VI.* M. F. Pilulæ No. XL. S. Lind-Pillen auf etliche mal.

℞ *Herb. 5. emoll.* ãã *Mß.* E*ndiv. Lactuc.* ãã *Mj. Flor. chamæm. melilot.* ãã *pj. Sem. Lin. Fænigr.* ãã ʒij *Prun. dulc. No xij.*

Coq. in s. q ▽. s in *colat.* ℔j. dissolv. *Elect. diacathol.* ʒvj ⅁ ǒ. ʒj. F. l. a. Clyster emolliens & refrigerans.

PURGANTIA verò VALIDIORA præsente jam morbo vix indicantur, ne materiæ jam turgescentis cursus violentiùs citetur, sed præstat eorum usus vel ante febrem ingruentem, *præservationis* gratiâ, vel eâdem remittente ad serosas *reliquias*, alterationem jam passas, evacuandas, & recidivam præcavendam. *Digestiva* aliquando, ut felicior succedat operatio, præmittuntur, qualia passim apud Autores videri possunt.

℞ *Pulv. laxativ. vegetab. Cryst.* ♀ ãã ℈j *Mag. Scammon. gr. iiij.* M. F. Pulvis. S. Purgir-Pulver auf 1. mal.

℞ *Extr. Agar. Helleb. nigr.* ãã *gr.* v. *Resin. Gialap. gr. viii. Ol. succin. gt.* 1. M. F. Pilulæ N. xij. S. Purgir-Pillen auf 1. mal.

℞ MP.

℞ *MP. de Succin. Craton.* ℈j *Extr. Helen.* ℈ß *Resin. Gialap.* *gr.* v. *Diagrid. gr.* iii. M.S. ut ſupra.

℞ *Extr. panchym. Croll. Pulv. cathol. purg. ãã gr.* xv. *Diagr.* *♀at. gr.* iij. *Conſ. roſ. ⊕lat.* ℥ij. *c. Sir. de farfar.* M. F. Bolus. S. Purgir-Zucker auff 1. mal.

DIAPHORETICA verò maximam hîc merentur laudem, eorumque rectâ adminiſtratione totum ferè curationis negotium abſolvitur; iis enim motus exorbitantis lymphæ corrigitur, vel reſtagnantis alicubi reſtituitur, pori cutis, vaſaq; capillaria obſtructa & coarctata aperiuntur & ampliantur, vitioſaq; ſeri colluvies maximâ parte excutitur, adeoque antidotus ſunt & febris & catarrhi, vel utriusque, remedia verè ſpecifica & appropriata. Talia autem propinentur, quæ nimia caliditate non obſint, ſed temperatiora, &, ſi malignitatis fortè adſit ſuſpicio, ſimul alexipharmaca. Chimia nobis hujus effectus ſiſtit quam plurima, interque ea ex *Succino*, & cum eo parata, nobilisſima eſſe, nuper monebat *Excell. Dn. D. Præſes.* Magni quoque uſus ſunt *Bezoart. miner. ☉are, ☽are, ♂ diaphor. lap. Bez. Mixt. ſimpl. Tinct. Bezoart. Spir. Theriacal. camph. Spir. lign. ſanct. Eſſ. lign. ſaſſafr.* & ſimilia. Poſſunt quoq; ſequentia exhiberi.

℞ ▽ *Card. ben. Flor. ſambuc. Scorzon. ãã* ℥vi. *Mixt. ſimpl. camph.* ʒj. *Sir. acetoſ.* ℥ß. M. F. Hauſtus. S. Schweiß-träncklein.

℞ ▽ *Catarrhal. Scabioſ. Fumar. ãã* ℥j. *Diaſcord. Frac.* ʒi ⊖ *Succin.* ℈ß *Sir. card. ben.* ℥ß M. S. ut ſupra.

℞ *Tinct. Bez. Mich.* ʒi *Eſſ. Catarrhal. comp.* ℈j. *liq. anod. gt.* ij M. D. in vitro S. Schweißtreibende Tinctur.

℞ *Pulv. bez. Senn.* ʒß *Bez. ♂al.* ℈i. *mag. anod. g. v.* M. F. Pulvis. S. Schweiß-Pulver.

℞ *Conſ. roſ. rubr.* ʒvi. *Bez. miner.* ℈j. *bol. arm. ppt.* ʒß *Sir. papav. rhœad.* q. ſ. M. F. Bolus. S. Schweißtreibender Zucker.

ALTERANTIA porrò ac *refrigerantia* maximè hîc ſunt expetenda, ut febrilis calor attemperetur, & ſero æſtu-

anti priſtina reddatur temperies ; quibus *confortantia* quoq; adjungenda, ad dejectum viſcerum robur reſtituendum, ſpiritusque languentes reficiendos.

℞ ▽ *Endiv. acetoſ. Scorzon. ãã* ℥ij. *Tinct. flor. 4. cord.* ℥ß. *Sp.* ⊖ *dulc. Clyſſ.* ♂ ♆*at. ãã* ℈j. *Sir. acetoſit. Citr. Diacod. ãã* ℥ß. M. F. Potio S. Kühl- und Stärck-tranck. ſumatur per intervalla.

R ▽. *Scorzon.* ℥ij. *cord. Herc. Sax frig.* ℥j. *Sp.* ⊕. ♂. *Tinct. Corall. c. ſucc. citr. ãã.* ʒß. *Sir. Flor. papav. rhœad.* q. ſ. ad grat. M. S. ut ſupra.

R. *Tinct. Viol.* ʒij. *Clyſſ.* ♂ ♆*at.* ʒi. M. S. ins Bier. 30. Tropffen:

R. *CC. ſ.* △. *Bol. arm. ppt. ãã* ʒi. *Corall. rub. ppt.* ♂ *diaph. ãã* ʒß. *Sacch. perlat.* ʒij. M. F. Pulvis S. alterir-Pulver auff etliche mal.

R. *Mag. Perlar.* ℈ß *Corall. rub.* ℈i. *Specif. Cephal. Spec. Liber. ãã* ʒß. *Laud. op. gr. ij.* M. S. Stärck-Pulver.

SYMPTOMATIBUS etiam nunc ſuccurrendum, inter quæ præcipuam opem deſiderat ipſe *Thorax*, quatenus ſeroſa phlegmata in pulmonibus congeſta, in aëris perficienda inſpiratione non parum ſæpè negotii faceſſunt. Itaq; ad materiam bronchiis inhærentem non tam præparandam quàm educendam, *Tuſſim* quoq; ſedandam, convenientia exhibeantur remedia.

R. *Rad. Tuſſil. Scorzon. ãã* ℥j. *Herb. Scabioſ. capill.* ♀ *ãã Mj. Flor. roſar. rub. ſamb. 4. cord. papav. errat. aa pi. Jujub. N. viij. Glycyrrhiz. raſ.* ʒiij.

Coq. in ſ. q. ▽. ſ. *Colatur.* ℥viij. add. *Sir. de Praſ. Acetoſell. ãã* ℥ß. M. S. Bruſt-Tranck.

R. *Spec. diair. ſ.* ʒi. *diamarg. frig.* ℈i. *Sir. Jujub. Viol. Tuſſil. ãã.* ℥i. *Oxyſacch. ſimpl.* ʒvi. M. F. Linctus S. Bruſt-Safft.

R. *Spec. diair. ſ.* ʒß *rad. ari ppt. flor.* ♆. *Lap. 69. ppt. ãã* ℈j. ♂ *diaph. gr.* xv. *pulv. anod. confort. gr.* vii. M. F. Pulvis. S. Bruſt-Pulver.

R. *Conſ. roſ. rub.* ℥j. *Spec. diatrag. frig.* ʒi. *Bol. arm. ppt.* ℈iiij. *Sir. papav. err.* q. ſ. M. S. Bruſt-Zucker.

Quodſi

Quodsi mitigato paulisper affectu *Tussis* cum *dolore pectoris* per longiusculum tempus adhuc duret, *externa* quoq; remedia in subsidium vocanda, quæ internis, associata humores arctiùs infixos blandè discutiunt, & reliquias morbi sensim absumunt. v. g. *Linimenta* vel *Unguenta* pectori illita in hanc rem præprimis commoda sunt:

℞ *Ungvent. rub. potab.* ℥ß *pectoral.* ʒvi. *Ol. Jrin.* ʒiij. M. F. Linimentum. S. Eusserlich Sälblein.

R. *Ungvent. Dialth.* ℥ß. *Ol. chamæm.* ʒiij. *petrol.* ℈i M. S. ut supra.

Possunt quoq; *Suffitus* & *Odoramenta* fieri ex variis, v. g. *Thure, Mastiche, Succin. Tacamah. Benzöe, Majoran. Serpill. Roremarin.* & similibus; nec *Masticatoria* ex *pyrethr. Mastich. Cubeb. Tabaco.* quibus aliquid *opii Theb.* addi potest, si necessitas urget, negligenda.

Reliqua symptomata cum alias quoque febres comitari soleant, nec peculiaria pro eorum mitigatione remedia hîc requirantur, iisdem diutius nunc immorari nolumus, consideraturi potiùs, quomodo per convenientem *victus rationem* (in qua potissima catarrhorum curatio & præservatio aliàs consistit) seri abundantis ex corpore propulsi regeneratio præpediri, vel ejus in statum degenerem transitus prohiberi possit.

DIÆTA igitur commoda erit instituenda, sine cujus adminiculo sanitas integra vix ac ne vix quidem recuperari, nec recuperata citra recidivæ metum conservari potest.

VITALIS hinc Diætæ primùm habenda erit ratio, in qua *Aër*, vitæ nostræ assiduus comes, spirituumque animalium præcipua origo, non nimis *frigidus* sit, ne constrictis inde poris evolaturo humori seroso exitus præcludatur, aut ejusdem in massa sangvinis condensatio aliqua oriatur: nec *fervidus*, ne æstuantis seri motus impensiùs concitetur; sed temperatus, qui, si naturâ talis non fuerit, per artem, v. g. suffumigia & odoramenta eò redigendus. *Austrinus* quoq; ac *humidus*, item vaporosus, *impurus ac corruptus*, qualem habitaculorum subterraneorum vel palustrium, murorum

rum item calce vivâ recens incruſtatorum, uvidæ ac ⦶oſæ exhalationes ſuppeditant, omni ſtudio fugiendus, & contrà *ſalubris, purus ac ſiccior*, corpus ſvaviter afficiens, eligendus.

In NATURALI *victus* ſit *parcus ac tenuis*, quem omnibus deſtillationibus competere *Herc. Saxon.* aſſerit, & Experientia comprobat. Alimenta itaque ſint facilioris digeſtionis, nec humiditate nimia ſeroſa, nec partibus Ωoſis, 🜍eis, acribus, conſtantia, ne vel cauſam morbi foveant, vel incenſioni anſam præbeant. *Cibi* aſſumantur nutrimenti paucioris, quia aſſerente *Hippocr.* corpora impura quò magis nutrias, eò magis læſeris; ad quorum tribum pertinent juſcula pullorum gallinaceorum, caponum, panatellæ, ova ſorbilia, crem. hord. vel aven. & piſorum cum vitell. ovor. pulmenta ex hord. poma Borsdorffiana & pruna Damaſcena cocta. *Carnes* verò, aliique craſſiores cibi, ob ventriculi ac viſcerum tonum langventem, vel non, vel parciſſimè aſſumantur, & remittente ac declinante morbo. *Piſces* vel planè fugiantur, vel, ſi appetitui ægri gratificandum, eligantur fluviatiles, qui ſalubriores, ut Lucius, item Percæ, funduli. Pulli gallinacei ac columbini, capones, alaudæ, carnes agninæ ac vitulinæ aliquando concedi poſſunt, præſertim ſi acido quodam, e. g. ſucco citri, limonum, berberum vel granatorum condiantur. Panis cydonius poſt aſſumptum cibum proderit. Fructus horarii fermenteſcentes, ac olera ob humiditatem minùs commoda vitentur.

Potus non ſit generoſus, caput replens, ſed tenuis, ut fervidior ſangvis temperetur ac diluatur, qualis eſt cereviſia temperata, bene cocta ac probè defæcata, nec nimis recens, *Tinct. viol.* vel *lapide prunell.* alterata. *Decoctum hord. cum paſſul. maj. enucl. flor. viol. rad. glycyrrhiz. Julebi ex ▽ acetoſ. fl. ſambuc. Scabioſ. Sir. acetoſit. Citr. oxyſacch ſimpl. Vinum* quamvis inſigniter vires reficiat, ejus tamen uſus ob febrilem æſtum ſuſpectus eſt; ſi tamen tenue id fuerit ac dilutum, aut febris decrementa agat, non omnino improbandum erit.

In

In ANIMALI *Quies* imperanda, ac *Somnus* conciliandus, ut materiæ catarrhalis motus inhibeatur, & transpiratio fiat liberior, quem in finem lectuli calore corpus foveatur. *Alvus*, si officio desit, stimulanda est *Clysteribus*, *suppositoriis*, vel *pilulis aloëticis*, ♀eis *Querc. Marocostinis*, vel aliis *lenientibus*. *Animi* perturbationes, sangvinem vehementer concitantes, studiosè fugiat ægrotus. Sed hæc de Febribus catarrhalibus dixisse hoc loco sufficiat.

D. S. G.

Flores doctrinæ monstras, Tua messis in herba,
BOHNSTEDI; Virtus Te generosa beat,
Det *benedicta Trias* messis TIBI plena sequatur:
Atque æger fructum sentiat inde suum.

CLARISSIMO DNO.
CANDIDATO,
pro
LICENTIA
Summos capessendi honores publicam conscendenti cathedram,
Invidendos successus & honorum atq; opum messem uberrimam ex animo optat
PRÆSES.

Non

NOn ſatis eſt corpus funeſtis ignibus uri,
Addita non rarò flebilis unda premit.
Tu ſatagis motos dignè componere fluctus,
Unde Tibi cornu divite manat honor.

αὐτοσχεδιαστὶ Nobil. Dn. Doctorando ita gratulatum ibat

Georg. VVolffg. VVedelius
D. P. P. Medicus Ducalis Sax.

QVàm variant hominum ſtudia & conamina; namque
Sæpius hic armis nomen ſibi nobile quærit;
Ille peregrinos mores terrasque remotas
Perluſtrans, aliisque modis encomia ſperat.
Verùm delectat præclara ſcientia rerum
Egregios animos, qui nocte diéque labores
Mente ferunt alacri, ferientes ſidera tandem
Vertice ſublimi, doctâ adplaudente coronâ.
Quis, quæſo, ex *Noſtrô* neſcit conamina ſumma,
Qveîs veram laudem quæſivit ab artibus? omnes
Eventus lætos *Tibi* prædixêre futuros,
Scilicet ut virtus BOHNSTEDI rara triumphet.
Hos quia prævíſos es percepturus honores,
Ex animo grator. Tibi proſpera ſingula cedant!

Hisce Nobiliſſimo atque Experientiſſimo Dno. Doctorando, Amico ſuo conjunctiſſimo, de novis iisque ſummis in Medicinâ honoribus ex meritô impetrandis gratulatur

Auguſtin. Henr. Faſchius, D.
Anat. Chirurg. & Botan. Prof. Publ.
Archiater Ducalis Saxon. & p. t.
DECANUS.